




D. O. M. I.
CHARIDEMI PO-
LITICI,

HOC EST,
DE MORUM VENUSTATE, AD CONVERSA-
TIONEM CIVILEM REFERENDA,
DISPUTATIO PRIMA.

pro qua
Sub Præsidio

CASPARIS DORNAVI,
PHILOS. ET MEDICI, PROFESS. MO-
RUM, GYMNASII SCHÖNAICHI
RECTORIS,

In Illustris Bethanæi auditorio supremo,
horis matutinis, ad

Junii diem an. CIO. IO CVII.

stabit responsurus

SEBALDUS à SACK
& Pirschen.



BETHANÆ AD ODERAM

Typis JOHANNIS DÖRFFERI.

ILLUSTRIBUS, GENEROSIS, MAGNIFI-
CIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS
DOMINIS:

Dn. MELCHIORI, LI-
BERO BARONI, à Rechenberg:

Domino in Klitschdorff/Princkenaw/Schlawa/
Wartenburg/Kottenburg & Windisch
Boraw &c. Sac. Cæs. Majest.
Consiliario &c.

DN. CHRISTOPHORO GEORGIO
à Bergk in Herrndorff/Claden/ &c. hæreditario in Bur-
raw/ Greyswalde/ &c. Judicii Regii Ducatus
Glogoviensis Adressori.

DN. IOHANNI à Bergk in Herrndorff
Claden &c.

DN. TOBIÆ à Schwamensehe/ & Bregoschitz
cognomento Sculteto: Hirschfeldæ & Bellaquimontii hæredi-
tario. Sac. Cæsar. Majest. Consiliario & Commissario:
Comiti Sacri Palatii, Fisceque Regii per Siles.
& Lusar. inferior. Patrono
& JCio.

Dominis & Patronis suis gratiosis, omniq;
observantiæ cultu prosequendis

Hoc Primordium

ETHOPRAXIAS POLITICÆ

L. M. Q.

OFFERT, DEDICAT,

RESPONDENS.

462949T

SX-2005/351/12

\$4 1920



[200.]

h. 11 2005

DISPUTATIONIS I.

HEPTAS I.

Diogenes Cynicus, cæterà ingenii perspicacis, iudicii minimè vulgaris; ita se abdebat in dolium suum, quasi latibulum aliquod: ut ab hominum consortio, Magnatum præcipuè, avocaret sese; canem regium appellaret Aristippum, item Philosophum; qui versari in aulis didicerat, & Dionys I regis, tyranni immanissimi gratiam facilitate suâ & morum elegantia promereri.

*Dioge. Laërt.
in vita.
Plut. pass.*

EX EO

*Qu. An morum verustas tantum aulas deceat;
Philosophum, & de schola hominem
deceat?*

R. Negantis——potior sententia visa est.

THE S.

I. Schola est officina, in qua non modò pium honestumq; docendum est, ac discendum: sed ipsum etiam pulchrum; quo mores conformantur ad sermonis amœnitatem, decorum in gestu, in actionibus modum atque oportunitatem.

II. Omnis doctrina, quæ hæc morum pulchritudine destituitur, ita imperfecta statuatur;

Bacchilid.

Ut cum de statua facies formosa rerum nulla est:

Lysid. Pythagoric.

ita etiam reputetur inquinata; ac si cœnoso puteo, purissimam aquam quis infundat; ubi cœnum simul & aquæ puritas contaminantur.

III. Iniquus erit Princeps: qui in alios cum feret leges, ipse planè vivere exlex velit. Ductor inglorius reputabitur, qui militibus ita imperare sataget; ut ipse nullam operæ bellicæ partem de se præstet. Theologi certè, qui ab auditoribus piè vivendi rationem exigit, ipse in vitiorum cœno ad utramq; aurem demersus.

Owen.

Plus malè facta nocent, quàm bene dicta docent.

Nec probandus Medicus, qui præcepta aliis inculcans salubris victus, ipse susq; deq; ferens cibi potusq; rationem.

Horat.

—— miscet concubilia turdis

Nec admittendus J^Ctus, qui leges, quas in schola habuerit virgines, in foro prostituerit meretrices, dum.

—— Themidem venalem prodidit auro.

Salust. Bartus.

IV. Perinde est in Philolopho turpe, didicisse rerum aliarum perfectionem, quæ pulchritudo dici meretur: se verò ipsum ad pulchritudinem, aut alios concinnare non valere. Indigna ergo est vox Philolopho, * ἄλλως ταῦτα ἐν ταῖς ἀκατεβάς λέγεται ἡμῖν: ἄλλως ἢ ζῶμεν.

* aliter hæc quidem in gymnasiis disputantur; aliter vivimus.

Euseb. 14. præpar. Evangel.

V. Addendum quid amplius: schola est ejusmodi palastra: in qua περὶ γυμνασμάτων instituuntur, quæ cum universo vitæ generi; cum ipsi etiam aulæ & ad conversationem cum Summatibus conferant.

VI. Ac quia Philosophum æquè decet esse * ζῶον τῇ

Φύσις πολιτικὸν: certum est ad placidam cum alijs consuetudinem καὶ συμβίωσιν, tam esse aptum, quàm foret ad lyram asinus: quisquis inter literarum studia, & morum elegantiam admittere divorcium velit. Damnamus merito iudicio Platonis eos, qui Discipulis dicunt: *Doctrinam accipite; mores relinquit.*

VII. Non subtiliter tantum contemplando; sed scire quoque agendo, sana Philosophia continetur: eaque Philosophiæ vis est: ut non solum studentes, sed etiam conversantes juvet.

Adprobamus itaq; dictum Demonacis.

Hic cum animadverteret, de mundi Systemate quosdam argutos vibrare sententias, disputareq; sitne animatus & globosus; graviter eos reprehendit: & Vos inquit de mundo solliciti estis: ad vestram ipsorum, immunditiem non curatis.

H E P T A S I I.

Alcibiades, homo rotâ figulari versatilior, ita se applicabat studiis hominum; favorem aucupabatur: ut Athenis falsè dicta iaceret, equos aleret, vitam facetam & gratiosam ageret; Lacedæmone raso capillo, palliatus, frigidâ lotus, durus, laboriosus, parcus; in Jonia negligens, ignavus, voluptarius; inter Thracæ ludio, potor, temerarius miles; apud Tissaphernem molli- tie, luxu arrogantiaq; diffluens.

* animal natura sociabile. Arist. Polit. 1. c. 2.

Plat. in Lachet.

Quintil. lib. 2. Institut.

Senec. ep. 118.

Laërt. & Stob.

Plutarch. de discrim. adulat. & amic.

Qu. An verè politicus audiat, qui promiscuè se con-
format moribus omnium?

R. Negantis — potior sententia visa est.

T H E S.

I. Phocionis nunquam satis est laudata sententia;
qui amico patrociniū sibi ab eo in causa iniqua pe-
tenti, respondit: Colendas esse amicitias; * αὐτὰ μὲν
τῶν βωμῶν

* sed usq; ad
aras. Plut. in
vit.

II. Etiam in morum doctrina non quidvis in cu-
jusvis gratiam dictum, susceptum, confectum ve, de-
cet politicum; Sed nimirum serviendum est locieta-
ti, ad religionem usq; & honestatem.

III. Nihil itaq; politicum; nisi idem pium, & sa-
cris literis consentiens.

IV. Atq; ut ex fontibus Israëlitis non modò hau-
riuntur doctrinæ, ad salutē aternam necessariæ;
Sed aptæ quoq; * πρὸς τὸ ὀδύμωσις in hac mortalitate:
ita hujus artis, quæ mores ad venustatem format, in
sanctissimæ scripturæ codice fundamenta continen-
tur.

V. Est itaq; res indigna; ad vitam civilem existi-
mare nihil posse bibliorum sacra volumina.

VI. Sed & illud ingrati est animi; nihil tribuere
sanis Ethnicorum libris: quibus * ipsa Natura legem
inscripsit cordibus; divina verò providentia, quam
universalem vocant, præstò adfuit.

* Rom. 2. v. 15.

VII. Sit ergo in Ethopraxia (hoc nomine insigni-
mus disciplinam morum) sacra scriptura Domina:
reliqua ex Ethnicis philosophia ancilletur: eaq; non
ad cujuslibet placitum: sed * οὐκ ἀνὸ φέρνυθ' οὐδέ στερ.

* ut quidem
vir prudens
definias. Ari-
stot. 2. Ethic.
cap. 6.

Adprobamus

Adprobamus itaq, Socratis factum.

*Hic diversissimorum hominum societate cum uteretur
caute; licet adsideret Graculis suis gracantibus, ipsa tamen
ita hausit Φιλοτιμίας ποτήρια: ut Socratem nemo unquam
viderit ebrium.*

*Plato de a-
mor.*

HEPTAS III.

Propheta Elias, civili admodum hu-
manitate, cum sibi occurrentem cerneret
Sunamitidem hospitem, præmisit famu-
lum: ut rescisceret, quidquam ne infau-
stum accidisset, his verbis: Estné pax tibi?
estné pax viro tuo? estné pax nato?

*2. Reg. 4. v.
25. & 26.*

EX EO

*Qu. An morum venustas sit cujusvis pñj, cumq, Chri-
stianismo necessario conjuncta.*

R. Adhuc tantis——potior sententia visa est.

T H E S.

I. Morum enim pulchritudine celebratur ipse
DEUS, qui est archetypus, & incomparabile exemplar
omnis venustatis.

Psal. 45. v. 3.

Cant. 5. v. 9.

&c.

II. Cum agresti morum neglectu sociatur ἀτα-
ξία, quæ Christianismum deformat: Ὁταξία verò, καὶ
Ἐνημοσύνη non in Ecclesiâ tantum: sed vita civili u-
niversâ est tenenda.

III. Tota ratio decorandi mores nihil aliud est,
quàm utriusque tabulæ Decalogi ad cultum civilem
applicatio.

IV. Neq; externum duntaxat hominem format

& animale: quanquam hoc beneficium insigne dicendum: sed ad interiorē & ipsum etiam hominem spirituale aliquid confert.

*Tot. a historia
Evangelist.*

V. Et in ipso CHRISTO, cū in his terris ageret, loculentissima imago apparet civilis conversationis.

VI. Non est itaq; res arbitraria, sive discere Ethopraxiam, sive negligere.

Philip. 4. v. 6.

Rom. 14. v. 19.

1. Cor. 13. v. 4. 5.

Jacob. 3. v. 13.

VII. Requirit ejus studium mandata severissima.

Improbamus itaq; factum Chanunis Hammonitarum Regis;

2. Samuel. 10.

v. 3. 4.

Qui non modo verbis injuriose habuit Davidis legatos; sed ipso quoq; opere, ut barbarus & incivilis; postquam abrasit dimidium barba eorum, & præcidit vestes per medium, usq; ad nates; itaq; sædatos dimisit.

H E P T A S I V.

Minat. Felix

in Olib.

Apulej. apo-

log prim.

Arrian. Epist.

lib. 3.

Muret. lib. 10.

var. lect. c. 1.

In ridicula Ethnicorum superstitione, quo tempore nullius rei vilior annona, quàm Deorum erat; solebant miseri, cū fanum aliquod præterirent, manum ori admoveere, osculum labiis premere: istoq; ritu lignis lapidibusq; in quibus aliquid divinitatis inesse putabant, honorem exhibere: unde τὸ χεῖρ ἐκ καταφίλησαι, sive manus osculum, quo reverentiam aliis declaramus, originem trahere suam videtur.

E X E O.

Qu. Cum morum doctrina concinnet sermones, gestus, actiones: an non ea saltem pars, quæ gestus atq; ceremonias continet, sit origine Ethnica usu damnabilis?

R. Negantium — potior sententia visa est.

T H E S.

I. Non omnes Ethnicorum ritus ceremoniarq; ad civilem *οἰκίαν* traductæ sunt in vitio habendæ.

II. Ut enim nummi valent usu: sic consuetudo, quæ nihil habet, aut impietatis, aut sceleris, legem in plurimis rebus ponit, cui meritò obsequimur.

III. Quanquam non infitemur gratiores esse ceremonias debere, quas scriptura sacra repræsentat, quasq; inprimis ad nostros usus transmisit.

IV. Tales sunt, quæ & religiosa dici queunt, & civiles.

V. Ex religiosis sunt in faciem procidere, exemplo (a) Abrahami, cum Deo colloquentis; Mariæ (b) sororis Lazari, & (c) leprosi Samaritani: addo insuper (d) pulverem capiti inspergere; vestes (e) scindere; cilicium (f) induere; funes indere (g) capitibus; præces temperare lacrymis, quas ipse Deus numerat, inque certum (h) uerem colligit; inprecatione genua flectere, columque versus extendere manus, (i) Salomonis, Petri, Pauli imitatione; aut pectus percutere cum publicano.

VI. Civiles sunt (a) capitis apertio, aut (b) demissio; porrectio (c) manus; exosculatio (d) pedum; complexus (e) totius corporis; ejuldem prona (f) incurvatio.

*Johan. Casa
Galata.*

- (a) Gen. 17. 3.
- (b) Joan. 12. 3.
- (c) Luc. 17. 16.
- (d) Hiob. 2. 12.
- (e) 1. Sa. 4. 12.
- (f) 1. Chr. 26. v. 16.
- (g) 1. Reg. 20. 31.
- (h) Psal. 56. 9.
- (i) 2. Par. 6. 13.
- (a) 1. Cor. 11. v. 3. & c.
- (b) Eccl. 4. 7.
- (c) 2. Reg. 10. 15 Gal. 2. v. 9.
- (d) Luc. 7. 38.
- (e) Gen. 48. 10.
- (f) 2. Reg. 2. 15. . Reg. 2. v. 19. 2 Sam. 9. v. 10.

VII. Imo ipsum manus osculum, opinione vultu-
rior est consuetudo; quippe Israelitis in Aegypto
commorantibus reverentiae inditium fuit atque ob-
servantiae: ut ex Hiobo haud obscure conjectari
licet.

Hiob. 29. v. 8.

Et cap. 9. Et 31.

It. cap. 40. 37.

Nathan. Chy-
tr. in Galat.

Rom. 16. v. 16.

1. Cor. 16. v. 20.

2. Cor. 13. v. 12.

Proinde ne Gallorum quidem bodie, Anglorum,

Belgarum exagitant, id est ceremonia.

Hi veteris Ecclesiae morem imitantes, ex osculationem in
civili conversatione adhibent; forte ut significent: quem-
admodum per oris spiraculum vita conservatur, et anima
ipsa: sic paratos se esse: modò fieri per naturam queat;
mutuâ applicatione oris ipsam animam cum amico commu-
nicare.

HEPTAS V.

1. Sam. 25. v. 2.

5. 10. Et c.

David e deserto Paranis decem ex admi-
nistris suis ad Nabalem mittit, à quo com-
meatū peterent verbis quam humanissi-
mis. Erat verò Nabal non opere tantum
agrestis, durus, difficilis; quum commu-
nia hospitalitatis jura denegaret: sed ver-
borum quoque contumelia eò usque la-
cessebat Regem; ut ferro eam putaret
vindicandam.

EXEO

Qu. An qui contra disciplinam morum quidpiam
suscipiat, peccatum admittere,
punendusque judicetur?

R. Grano

R. Grano salis opus est.

T H E S.

I. Adversus concinnitatem morum quæ suscipiuntur, quædam sunt vitia, quædam peccata.

II. Vitia sunt, quæ sine scelere, sed contra aliquam elegantiam regulam suscipiuntur: cum scholasticus medico occurrens post parietem sese abdidit, quodam autem causam querente dixit: *Jam diu est ex quo non agrotavi* * καὶ ἀσθενούμαι εἰς οὐρανὸν τὸ ἰατρεῖον.

III. Peccata sunt, quæ οὐβρωμία duritiemque morum etiam irreverenti cultus dedignatione augent: qualis erat caussidicorum, qui Claudium Cæsarem e tribunali descendente, rogæ retentâ lacinia, interdum pede apprehenso sistebant, quasque sufflaminabant.

IV. In vitiis dandum aliquid simplicitati & communi ignorantia; quod Magnates faciunt, qui sæpe puniendam rusticitatem aliorum vident; sed rident.

V. Sin de industria, crebriusque iterentur vitia, præsertim iniquis dictis exasperata; jam non vitiorum modò: sed peccatorum quoque nomine insignienda & punienda veniunt.

VI. Quæ enim alterius dignitatem imminuunt, ornamenta, commoda; ea vim faciunt Decalogo: in quo honor exigitur & conservatio proximi.

VII. Addamus huc & illud; quod prætermisso civilitatis officio contemptus, ex hoc odium, ex hoc cædes consequatur.

Proinde placeat Abigailis illustre facinus;
Hæc Davidem arma stringentem adversus maritum suum satum, de asina descendens, in faciem prolapsa

**itaq; erubescio in faciem prodire Medici. Hierocl. in facot. Suet. in vita.*

Matth. 2. 39.

1. Samuel. 26.
v. 23. &c.

incurvadit se terram versus, verborum factorumq; lenitate ac prudentia ita reddit placatum; ut Rex placabilis iustam iram mitigaret, pœnam Nabali diviti, sed rustico remitteret.

H E P T A S V I.

Olympias, cùm accepisset, Alexandrum filium [ut alii, Philippum maritum] adamare fœminam, a qua putabatur amatoris venenis corruptus; accersivit ad se mulierem: cumq; præter insignem formam observasset in ea mores liberales atque venustos; ingenium porro facile ad conversationem: Valeant, inquit, qui te insimulant veneficii: nam tute quidem pharmacum in te ipsâ ac philtrum habes. Sentiebat quippe, non tam formæ, quàm morum elegantia, sive filium, sive maritum in amorem pertrahi.

*Plutarch. a-
popht.*

EX EO

Qu. An morum amœnitas innascatur homini?

R. Negantis — prior sententia visa est.

T H E S.

- I. Qui philtra naturali operatione putant conciliare amorem individui: in errore versantur crasso.
- II. Verum amoris, sed honesti, illicium æstimo.

Sit procul omne nefas: ut ameris amabilis esto.

Ovid.

III. Equidem inest quibusdam singularis gratia: ut, velint, nolint, pelliciant in sui amorem alios: quæ etsi ex quadam *διωάμει Φυσικῇ* principium quoddam sumit; assuetudine tamen acquiritur quàm proximè & industriâ; viam ars ipsa opusq; dirigit.

IV. Quod si diceremus insitam esse ethopraxiam; ipse quoq; usus & exercitium civilis conversationis oporteret esse quiddam connatum.

V. Atqui ut ** ἔδεις Φύσιν σπυδαῖς ὁρῶν; ἀλλὰ παρὰ φύσιν*: ita nunquam in hanc lucem prognatus quisquam fuit, qui ad normam ethopraxias civilis esse statim potuerit.

** nemo natura probus est; sed præcelsit me Aristot.*

VI. Ex quo consequitur, valde liberales esse aestimatores sui ipsorum: qui naturalibus suis donis omnia tribuunt; artis adminicula aspernantur. Potius id tenendum: in optimo quoq; antequam erudias, virtutis materia, non virtus est.

Senec. in epist.

VII. Conciliemus itaq; Platonem & Aristotelem. At illius sanè placitum sit morum amœnitas innata; sed quoad radicem propensionesq; & amabilitatem. Ex hujus verò judicio, non erit innata: sed quoad expressionem perfectionemq; solidam.

Goclen. in quaest. Ethic.

Adprobamus itaq; Ethnicos.

Ex iis Romanos; quorum Censores habebant rationem honesti & turpis, pulchri & incivilis; apud quos Censoria nota Equites equis spoliati; Senatores e Senatu ejeti; alij tribu moti. Nec minus Athenienses commendandi: quibus erant ἑταῖραι, & Arcopagita, severi morum inquisitores. Prudentes & Spartan, quibus erant οἱ ἀγνοῦσαι, compositores morum; & οἱ ὁδοὶ inspectores conversationis. Non

Liv. lib. 10. de cad. 4. Dio. lib. 40. Valer. Max. lib. 2. c. 1. Xenoph. in Repub. Spart. Cæl. Calagn. lib. 18 antiq. lect. c. 3.

Prob. Emil.
in vit. a Han-
nib.

improvidi Carthaginenses, quorum præfecti & Magistri
vita Ethioptaxian longè lateq; propagabant:

HEPTAS VII.

Quòd Ulysses dictus fuit *πλύτρον* & cum
formatus esset ad omnem vitæ civilis par-
tem: illud encomium constitit ipsum im-
pendio non minùs viginti annorum: quo
in Philosophorum scholis minimè; sed
hac illac peregrinatus.

* Multorū mo-
res hominū cō-
spexit & urbes.
Horat. ex Ho-
mer.

* πολλῶν ἀνθρώπων ἶδεν ἄστεα, καὶ νόον ὄντα.

EX EO.

Qu. An adolescentes ac juvenes in Scholis formari
ad civilem conversationem possint?

R. Adfirmantis — potior sententia visa est.

T H E S.

I. Ad omnem habitum comparandum non tan-
tū *φύσις καὶ ἀπαισις*: sed ipsa etiam *μαθήσις* requiritur.

II. Adeo natura sine doctrina est caca; doctrina
sine natura manca; sine utrâq; exercitatio imper-
fecta.

III. Ex optimorum auctorū scriptis, quæ vere-
rum, quæ recentiorum, ejusmodi systema conscribi
potest; quod constet ordine certarū propositio-
num, usui atque exercitatione cognitarum ad finem
utilem in vita: hæc enim artis est natura.

IV. Quod systema dum ex delictis auctorū col-
ligitur, quasi mellificium, & ad omnes vitæ humanæ
ordines, universim atq; singillatim disponitur; no-
vum est opus, & Illustris Schönaicheri imputandum

Aristot. hinc
inde.

Plutarch. de
educat. liber.

Aristot. 6.
Ethic. cap. 4.

ingenio

ingenio judiciosissimo rerum verò argumentorum-
que congerie etiã antiquum dici potest.

V. Quemadmodum ergo adolescentior ætas
non est incapax doctrinæ Ethicæ; ut Aristoteles dis-
putat: sic ab hujus disciplinæ sacris non est prohi-
benda.

*Aristot. 1. E-
thicor. cap 3.*

VI. Quanquam id minimè negandum: qui in
umbra docentur agere præscriptum Ethopraxias,
cultiores fore: si in lucem quandoq; moratorum
hominum producantur.

Senec.

VII. *Paulatim enim descendit in pectora, & vim
præceptorum obtinet, frequenter audiri, adspici frequen-
ter: occursum ipse sapientum jurat.*

Senec.

Adprobamus itaq; M. Tulli Consilium.

*Hic Marcum Filium ab se dimisit, ut Cratippum au-
diturus, eumq; Athenis, abundaret præceptis & institutis
Philosophiæ: propter summam & doctoris auctoritatem,
& urbis: quorum alter scientiã eum augere poterat; exem-
plis altera.*

Cic. 1. offic.





